

Anno
M.

tantes Hebræis. Mox etiam adversus *Philistæos* bellum movit, quos *Jonathan* filius Regis, solo armigero comite, ingenti terrore perculit. Fugientes Rex gravi clade affecit. Successit aliud bellum, contra *Amalekitas* imperatum divinitus in gentis totius exterminium: ac ne spolia quidem servare permiffum. Sed prædâ Rex illectus, præcepti divini immemor, potiora, quasi in usum sacrorum, seposuit: quo facto offensus Dominus Regnum ab ipso in *Davidem* transtulit: qui duello contra *Goliathum*, aliisque præclarè gestis inclaruit. Saul verò cùm diu injustis armis persecutus esset innocuum, cæso à Philistæis exercitu, sibi tandem violentas manus intulit.

nat. 2861.
2891.

David initiò solius tribus *Judæ*: inde cæterarum omnium Rex factus est, postquam familia Saulis hac dignitate excidit. *Philistæos* in regnum irruentes secundis præliis domuit. Expugnavit *Jerosolymam* & arcam Domini Sionem transtulit. *Moabitas* atque *Edomæos* subjugavit. Subegit *Syriam* eique stipendium imposuit. Regnum quoque *Ammonitarum* evertit. Sed cùm *adulterio homicidióque* se polluisset, castigationem Domini non effugit. Nam *Amnon* sororem stupravit. *Amnonem Absolon* interfecit, quin etiam arma impia in Patrem sumisit, regno eum depellere cupiens. Sed *Joab* parricidiales conatus ferro ultus est, neglecto Regis mandato. Etiam *Sebæ* rebellio morte Ducis fuit repressa. Extrema regni clades